

§. 4. Prior cognitio, nimirum *indicativa*, tantum inter principia refertur; posterior verò, nimirum *explicativa*, scientiam perfectam, non nudum principium, largitur. Interim & hæc ipsa, nempe perfecta cognitio, saltem promissivè, statim initiò simul proponi debet, ut animus ad eam, tanquam ad præcipuam deinceps capiendam, præparetur, ne si nihil initiò moneatur, sola præliminaris & *indicativa* cognitio, quæ sæpiùs ipsa satis adhuc prolixa est, utramque paginam facere sibi præsumat, mentemque præoccupatam inducat, ut principalem scientiam aversetur, meris præliminaribus tam operosè, vel ad nauseam, inculcatis.

§. 5. Cæterum ut principium Corporis purum (*Indistinctio*) rationem suam denominativam quadrifariam in præcedentibus exseruit; ita principium Corporis modale (*Distinctio*) quaternario subest, & conceptibilitatibus quatuor se spectabilem reddit, quarum binæ *modum Corporis ad extra* denominant, binæ *modum ad intra* definiunt, aut saltem intimant.

Modus corporis ad extra concipitur sub ratione DIFFERENTIALÆ, diciturque *Forma Metaphysica* seu Logica, quæ duplex est, & spectatur vel *extra corpus*, vel *in ipso corpore* proposito.

§. 6. *Extra corpus* spectata *Differentia* nihil aliud est, quam *respectiva negatio*, quâ corpus hoc, quod antea materialiter, ut subjectum, sub certo Numero sive Genere concipiebatur, nunc ad illius totius Numeri partiales numeros, & imprimis ad duas oppositas ejus turmas, restringitur, ita quidem, ut altera negetur ad Subjectum hoc pertinere, vel potius, ut negetur, Subjectum ad hanc turmam pertinere. Concipitur itaque subjectum differentialiter primò, quatenus certam totius numeri sive Generis partem excludit, & ab eo præscindit; innuiturque, quod corpus sub illâ numeri s. generis parte, s. sub illo numero particulari, non sit: v. g. quando silex, antea materialiter (ut *Lapis*, sive quod silex unumquid ex numero lapidum sit,) conceptus, nunc exclusivè concipitur, tanquam *non pretiosus lapis*, i. e. tanquam non ex illâ parte Numeri sive turmâ lapidum, quâ gemmæ continentur, sed extra partem hanc, extra cohortem hanc, constitutus.

§. 7. *In ipso Corpore*, spectata *differentia* nihil aliud est, quam